



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Quae ad studia pertinent. Cap. IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Famulis nihil imperent; nec cum ijs sine facultate agant quidquam, aut loquantur.

Quæ ad studia pertinent. Cap. IIII.

Quam diligentissimè incumbant in ea studia, quibus a Reuerendissimo Archiepiscopo per Rect. ad dicti fuerint; in iisque etiam præscriptum sibi ordinem seruent.

Præceptoribus suis honorem, reuerentiam, & obedientiam exhibeant; in gymnasio modestè versentur, lectiones attentè audiant, ex iisque fructum percipere studeant; nec eis è gymnasio sine præceptoris venia exire liceat.

Semper latinè loquantur, excepto versutino tempore post cœnam, & die ad relaxandum animum assignato.

Cantum, quæ firmum appellant, omnes ediscant; figuratum etiam ii, quibus a Rectore commissum fuerit; idque statim post prandium hora constituta.

Extra prædictum tempus, nullus nisi de licentia Rectoris canat, præterquam relaxationis die, festisque diebus statuta hora recreationis.

Eleganter omnes & graphicè pingere literas discant, præscripto tempore, sub præceptore qui ad id conductus fuerit.

De Vestitu. Cap. V.

Habitu non exquisito nimis, aut elegantis; rursus nec sordido, nec abiecto utantur; cum vtrunque, ecclesiasticum præcipuè hominem maximè dedecet.

E cubiculo nemo exeat, nisi decenti vestitu ad præscriptam formam amictus, eoque circa corpus compositè accommodato; neque nisi decenter contexti, & cum subucula iaceant in lecto.

Vestes non ferant nisi laneas, easque non caudatas.

Pallium quod ferrarolum dicunt, ne ferant, nisi per pluias, aut causa itineris; neque novas vestes, aut alia integumenta sine Rectoris facultate conficienda curent.

Vestibus item non utantur pelliceis, præsertim cum domo exeunt.

Caligæ, nec turgidæ sint, aut sectx, nec alterius quàm nigri coloris: Quòd si alicui permittatur, vt dissectas gesser, eas supra genua nodo alliget.

Collaria artificiosè elaborata reijciant, nec camisas ad manus reflectant.

Superior vestis ad collum decenter adstricta sit: Eius manicæ, cum interioris tunicæ manicis æquentur.

Birretti, vt vocant, interior pars, nigri tantum sit coloris.

Pileum acuminatum ne gestent, isque tortili cingulo modico claudatur.

Chyrothecas non induant; nec cingula, aut vincula tibialium serica aut reticulata adhibeant.

Qui aliquod indumenti genus contra cõstitutiones apud se habuerit, præterquam quòd illud distribuetur indigentibus; in eum præterea grauius animaduertetur; nec illi sacra ordinationis tempore literæ testimoniales de clericali vestitu concedentur.

De domesticis exercitiis, aliisque præstandis cum domo exeunt.

Cap. VI.

Vnusquisque lectum suum componat, è loco suo sordes omnes amoueat, omnibus in rebus munditiam ac nitore procuret, easque ordine dispositas habeat; & munera quæ sibi obuenerint, siue in cubiculo, siue foris, diligenter obeat.

Singuli in Mensa legant, & inseruiant, prout illis a Rectore præscriptum fuerit: eoque præse, nudato capite inseruiant.

Nihil perniciosius adolescentibus, ijs præsertim qui sub certa viuendi disciplina degunt, & literarum studiis dant operam, quàm sapius domi, multo magis per urbem vagari; estque hoc inanis cuiusdam leuitatis certissimum argumentum.

Quamobrem nullus a cubiculo, ne a suo quidem loco; nullus relaxationis tempore a loco constituto sine præfecti sui venia discedat.

Nullus ad ianuam accedat, viridariū, aut alienum cubiculū ingrediatur, nisi eius rei facultatè a Rectore obtinuerit.

G g g Nulli